

Censura SE. Hier.
Fr. Balduini r. p. in calu.
Reg. et Reg. def. con. Calu.
Synodica 2. Cr. et Hier.

Sebastiano Comero

Salvatore Maria

D
573

CENSURA
Catholica
de adon...
M...M...

De ●
573

CONSUEVA
Catholica
de adon...
T...
T...

Consueva se...
...
...
...
...
...

De 
573

RELIGIONIS

3

ET REGIS

ADVERSUS EXITI-

OSAS CALVINI, BEZAE,

& Ottomaniconiurato-

rum factiones de-

fensio pri-

ma.

AD SENATVM POPV-
lumque Parisiensem.



LVTETIÆ PARISIORVM
excudebatur.

Anno 1563.

RELIQUONIS

ET REGIS

ADVERSUS EXOTI

OSAS GALVANI DE

& Orientalibus

in hisse de-

scrip-

ma.

AD SANCTUM

in hisse de-



INSTITUTIO

excelsa

1788

SENATI PO^a

PVLOQVE PARI

SIENSI, CHRISTIANAE PIE-

tatis & Regiæ maiestatis a-

cerrimo fidelissimoq;

propugnatori

Auctor.

S.



V M permultavestre
ciuitatis in Reges su-
os Christianissimos
omni tempore offi-
cia extiterunt, tū hoc

vnum vel maximum erit, omni-
umq; gentium literis atque linguis
celebrabitur, quòd pestiferis non-
nullorum Catilinariorum factioni-
bus, in huiusce regni florentissimi,
Regisq; augustissimi exitium &
pestem comparatis, summa diligē-

A 2

tia

tia, opibus, viribusq; fortiter obsti-
tistis. Quod cum nostri principes
optimi, cunctæq; nationes huic re-
gno sociæ, & inuiolabili æternq;
paciis fœdere coniunctæ iam inde
intelligent, tum verò Rex Chri-
stianissimus, vbi ad robur ætatis iu-
dicii que peruenerit, suam dignita-
tem suæ Lutetiæ beneficiis & stu-
diis sibi conseruatam ac restitutam
agnoscet, in eaque sibi, & Reginae
matri, Regique Nauarræ, ac cæteris
proceribus vnicum perfugium,
firmissimumq; præsidium ad de-
clinandas inimicorum petiti-
ones fuisse recordabitur. Ego itaque
qui Regis & religionis semper ob-
seruantissimus fui, & ab ista, quam
nescio qui meditantur introduce-
re, rerum hominumq; confusione
propemodum alienus, cum aliqui

aduersus illos contentionem mihi
ex officio suscipiendā putauissem,
& historiam nefandissimæ post or-
bem conditum, conspirationis, cō-
staque impiè & crudeliter passim
toto imperio Gallico perpetrata
sigillaum describere aliquot orati-
onibus statuissem, hāc prolusionē,
& veluti iustæ dimicationis proce-
mium existimaui præcipuè iis ciui-
bus esse debitum, qui, sicut iam di-
xi, in Regis perpetua obseruantia,
& Religionis veteri disci-
plina fidelissimè
permansis-
sent.

A 3 RELI-

RELIGIONIS
ET REGIS ADVERSUS
EXITIOSAS CALVINI, BEZAE,
& Ottamani coniuratorum
factiones defensio

prima.

AD SENATVM POPVLVMQVE
Parisiensem.



EMpublicam Gallicã,
quæ bellis diuturnis de
functa, in summa pacis
atque otii tranquillita
te iam totos tres annos
conquieuerat, hodiè domesticis sedi
tionibus intestinoque periculo labo
rantem plerique intuemur: sed tamen,
nisi altiùs res ipsas, & scelera consili
orum cogitatione reuocamus, tantæ
perturbationis causam pauci omninò
animaduertimus. Ita fit, vt si quis aut
propter iudicij imbecillitatem, aut li
terarum atque antiquitatis imperiti
am de temporum ac rerum statu, ex
euentis

euentis, non ex veritate velit aestima-
 re, is fortâsse coniuratos; quibus om-
 nia satis fœliciter hactenus processe-
 runt, multùm prouidisse: bonos, quo-
 rum conatus frangi ac debilitari vi-
 deantur, nihil sensisse, aut si quid be-
 ne senserint, non effecisse, interdum
 cogitur suspicari. Ego centè vt illos
 fateor studio assequendi ac obtinen-
 di quod moliebantur, vigilantes, ar-
 dentes, præparatosque fuisse, nobis
 autem sæpè concordiam, nonnun-
 quàm animum, semper audaciam de-
 fuisse: tamen non propterea vllis ra-
 tionibus adduci potero, vt Regiam
 causam coniuratorum factionibus
 aut imbecillio rem adhuc fuisse, aut in
 posterum cessuram esse, aut aliquâdo
 vinci posse concedam. Vidimus enim
 & ipsi aliâs petulantiam cum pudore,
 turpitudinem cum honestate, fraudâ
 tionem cum fide, iniquitatem cum
 iustitia, desperationem cum bona
 spe, amentiam cum sapientia certare,
 A 4 impro-

RELIGIONIS ET REGIS

improbos cum bonis, egētes cum locupletioribus conflagere, denique magistratus à concitata plebeiorum manu, Reges à transfugis & proditoribus frequenter oppugnari: nusquam tamen expugnari vidimus, legimus, audivimus. Ex quo maxima spes iam pridem mihi affulsit, istam coniuratorum sentinam, tametsi altè fundamentum & radices egerit, dei Optimi Maximi nutu, & firmissimo Regis Christianissimi, Reginae matris, & regis Navarrae praesidio vel penitus oppressam ac prostratam iri, vel certè in suum asylum, ex quo tanquam ex terrimo specu prodijt, propediem sua sponte redituram. Iam enim sua patere consilia sentiunt, iam nefarios suos conatus illustrari, iam deprehendi coniurationem intelligunt: & quod homines impios magis terret, summam Regis & principum ac civium optimorum concordiam quotidie magis ac magis exardescentem, & cupid-

DEFENSIO. I.

cupiditate tanti furoris coërcendi inflammata vident. Fuit tempus, cum specie nescio qua religionis, & simplicitatis simulatione, sese in hominum animos ac beneuolentiam ita callidè insinuarent, vt errore eos teneri, non furore agitari putaremus: vt eorum vicem potiùs dolere, quàm factiones vlcisci cuperemus: vt denique non modò eos viuere, sed nobiscum versari, sed nostros corrumpere pateremur. Quod cum nostra ignauia ac imprudentia, tum istorum technis & mirabili artificio, quod sibi ad vulgus decipiendum appositè confinxerunt, accidisse debemus ominari. Nam vbi primùm Calvinus suam illam impudètię ac impietatis scholam aperuisset, & ad eiusdem sceleris societatem nonnullos, quos fore vtilis sibi ac idoneos arbitrabatur, verborù blanditijs, magnificisq; pollicitationibus pellexisset, tunc homo vafer & astutus, qui nobilitandi sui nominis

RELIGIONIS ET REGIS

& propagandæ factionis ardore incendebatur, laqueos complures struxit, quibus incauti, semidocti, & sibi minus cauentes facile irretiti caperentur. Audiuerat Lutherum superioribus annis in Germania contra Pontificis & Episcoporum deprauatos mores accerbiùs debacchatum, idque non modò impune, sed etiam cum quadam gloria, & eorum approbatione, qui fastidio veteris disciplinae, ac nouæ studio tenebantur. Videbat etiam tunc eam esse plebis magna ex parte propter sacerdotum vitia offensionem, eam multorum in veritate oppugnanda, & Reipub. statu peruertendo fore contentionem, eam denique rerum esse solere vicissitudinem ac commutationem, vt non difficile futurum cogitaret tandem assequi quod instituebat, aut saltem obistere, ne Resp. Christiana tam libera ac quieta pace frueretur. Itaque vrbe Geneua occupata, summaq; sacerdotij

dotij potestate à suis impetrata, memor cōsiliorū quib⁹ seditiosi in Atheniensiū & Romanorū imperijs ciues viguerāt, cōtinuò exclamare, profiteri, denūciare cœpit, verā pietatē hactenus ignoratā, sibi patefactam, nostros homines cęco errore tenebrisq; inuolui, se hęc caliginē velle ab illorū oculis discutere, se vnū esse, qui plus quàm maiores, & quoquot mille & quingentis antea annis vixerint, sciat, videat, intelligat: denique patres nostros idolorum cultores, delusos, occęcatosq; fuisse, se verū Christi cultum quodā diuino spiritu cognouisse: nostros Episcopos, impostores, cæcõdemonas, antichristos & sceleratorum duces fuisse: suos, Christi nuncios, apostolos, doctores fore. Hęc præfatus significat etiam sese asylum in proximis Galliæ finibus constituisse ac muniuisse, ad quod exules, damnati, aborigines, & omniū ordinū gētiumq; perditī ac deplorati greges suis finibus

RELIGIONIS ET REGIS

finibus ablegati, confugiāt, & in quo
tanquam in tutissimo portu placidè
conquiescant. Deinde vt latiùs iacta
factionis suæ fundamenta promoue-
at, verborum illecebris, quibus est
insigniter instructus ad persuadendū,
sele ad impugnandam veterem pieta-
tis regulam comparat: ab ea populum
modis omnibus alienare, & ab eccle-
siæ gremio auellere: contrà suam san-
ctimoniam & integritatem ostenta-
re, doctrinā prædicare, sua postremo
somnia introducere, sua commenta
probabili & plausibili fuce exorna-
re, & quàm longissimè in omnes Chri-
stiani orbis regiones disseminare co-
natur. Quid postea? dicam breuiter
quid astuti & calui impostoris scrip-
ta effecerint, vel potiùs quàm multos
veneno infecerint. Vereor enim ne si
permulta de hisce rebus dicam, pudeat
at me de leuitate nostræ gentis confis-
teri, apud quam plus interdum vnius
Caluini opinio, quàm maiorum pro-
bitati

bitas, quàm omnium doctorum consensus quàm Ecclesię auctoritas, quã Christi mandata, quã tot seculis totque populis probata viuendi recta cõsuetudo, valuisse videatur. Ergo prodigiosis omninò opinionibus impeditos primùm adolescentes in publicis Iurisprudentiæ scholis vagantes, & ciuilium disciplinarum difficultate retardatos imbuit, ad contemptionem sacerdotum dira obtrectatione impellit, & aduersus omnẽ rationem veritatemque vna impudentia armat: quiduis dicendi & scribendi libertatẽ licentiamque concedit: maiorũ leges ipse labefactat, & ad errorem suum corroborandum prolatis citatisque sed detortè & deprauatè sacris literis abutitur. Enimuero cũ multi amore quem acceperant, & ab institutis maiorum, in quæ iurauerãt, recedere nec sine perfidia posse, nec sine impietate se uelle debere existimarent, contra id non modò integrum esse scribit, sed

honest

RELIGIONIS ET REGIS

honestum, sed pium, sed salutare confirmat. Ex quo accidit, ut si qua pecus scabiosa & in coenobijs, & in iudicijs, & in vrribus secerni à grege, nec sanari, sed in sua lue sordescere, cunctisque obseruantia ac honestatis legibus solui vellet, continuò in Caluini Academiam, vel potiùs in Epicuri hortos, vbi turpiter volutaretur, & in temperanter voluptuaretur, lubentissimè deficeret. Eam rationem magister Theodorus Beza iniuit, ut quoniam Lutetia, vbi lippis & tonsoribus, & lanistis & ganeonibus erat in primis cognitus, summèq; egregijs scortationum & ludorum palmis nobilitatus, Candidam, quam perditè deperibat, sine probro periculoq; abducere, & creditorum, quibus aere obstrictus tenebatur, fidem diutiùs fallere non poterat, exilio & fuga sese omni vinculo nexuq; exolueret, ac in perfugium libidinis atque petulantia vindicaret. Ecce Calvinus aduenæ

uenæ istius præsentia recreatus, magis
ac magis falsa scientiæ opinione in-
tumescit; doctissimos quoque suas
rum esse partium asseuerat. Cur tan-
dem? Nempe vt faciliùs hominum
simplicitati illudat, & virorum ma-
gnorù fulgore vulgi aciẽ perstringat,
& impudentiam suã adulteratis hisce
figmentis quasi pigmentis fucatã illu-
striorem reddat. Ergo isti duo suscep-
tæ cõiurationis principes arctissima
scelerum societate inter se coniuncti,
maiores animos colligunt, plura mo-
liri, sperare ampliora, & iam sibi ho-
nores, dominatumque polliceri au-
dent. Qui cum ex antiquis Roma-
norum & Atheniensium historijs
didicissent, qui nouis rebus stude-
rent, eos in multitudinis sensum at-
que amicitiam ea maximè ratione pos-
se irrepere, si magnas utilitates osten-
tarent ijs quorum opera ac gratia
florere cuperent: protinus nefas si-
bi videri aiunt, quod nostri Episcopi

RELIGIONIS ET REGIS

tot annuos prouentus ex ecclesiasticis prædijs capiant, quòd ad turpissimos vsus illis abutantur. Porrò queruntur nullum esse locum charitati aut pietati, exteros hospitio carere, inopes alimentis egere, afflictos solatio destitui. Aliam apostolorum cõditionem fuisse clamitant, qui quidem tenuiter & parcè uiuerent, & opes si quas haberent, pauperibus liberaliter erogaret, ægros uiserent, supplicibus auxilium consiliumque non denegarent. Quorsum verò hæc duorum concionatorum tam pia, tamque charitatis ac propensi amoris plena oratio? Beza Episcopos sacerdotijs locupletari reprehendit, qui ex iisdem longè uerisimum quæstum fecerit? qui pauperum pecunias in epulis, ludo, iocis, scortationibus tam multas prodegerit? qui sacerdotia, quæ satis ampla & optima habebat, pluribus emptoribus eadem certo precio addixerit? quæ si, non dicam nouus Christianus, sed antiquus

DEFENSIO. I.

iuriconsultus esse voluisset, extra cō-
 merciū & licitationē esse cognouisset.
 Quorsum igitur tanta commu-
 tatio? Vt quoniam Beza plerosque
 sacerdotiorum censibus adipiscen-
 dis inhiaturos consideret, hac illos
 spe ad veteres colonos de sua sede ac
 possessione deturbandos accenderet:
 vt qui fortè Calvinicam sectam per se
 non amplecterentur, spe, quam illa
 ostenderet, nihilo minus capti, ab an-
 tiqua religionis & regis obseruatione
 auocarentur. Astutum profectò
 & ingeniosum inuentum, pro quo
 videlicet quamplurimos acriter, tan-
 quam pro lege agraria, videmus hoc
 tempore decertantes. Quàm enim vel-
 lent tenues ac libidinosi nebulones,
 qui partim inertia, partim malè ge-
 rendo negotio in vetere ære alieno
 vacillant, qui iam pridem premuntur,
 qui nunquam emergent, quàm, in-
 quam, vellent specioso aliquo nomi-
 ne ad spē prædæ & rapinarū inuitari,
 B quàm

RELIGIONIS ET REGIS

quàm aliorum fortunis ditescere,
 quas conscelerata ac nefaria mente
 tãdiu concupierunt? Tantum valuit
 hæc opinio, vt etiam in mentes no-
 strorum hominum penetrãrit, vt mul-
 tudo in eam spem prædæ etiamnum
 adducatur, vt potentiores eandem au-
 cupentur: quin etiam de ordine sacer-
 dotum nõnulli raperiantur, qui cum
 ecclesiastica præcia obtineri aliquan-
 dò vice hereditariorum, & cum vxo-
 re simul haberi, ac liberis relinqui pos-
 se opinentur, coniuuratorum factiones
 etiam propagari non moleste ferant.
 His principijs serpsit paulatim hoc in
 rep. malũ, quod indies querimur vehe-
 mentiùs ingrauescere: & ita in omnes
 reip. partes quadam veluti contagio-
 ne dimanauit, vt iam nullo remedio
 corpus sanari queat, nisi ab eo mem-
 bra grauiùs affecta diuellantur. Hinc
 illa coniuatorũ iactatio, hinc minq;
 hinc arrogantia, hinc insidię, quæ op-
 timi cuiusq; ciuis vita struuntur: hinc
 species

Species armorū causęq; , vt ipsi aiūt, suscipiendorū honestissimę prodierūt. Hinc illa argumēta laudandę sōæ doctrinę: & pietatis, pro qua cōtēdimus, eleuādæ promūt, quòd tā breui tēpore tam multos sectatores, & opinionū suarū vindices pertraxerint, qui semel persuasi nullis postea rationibus desentētiadeici ac dimoueri potuerūt.

Putas ne, Beza, eò coniuratorum manum ac potētiam prorupisse, vt paria facere nobiscum, vt regijs copijs collectos ganeonū greges iusto Marte queat opponere? tuos deduci de pertinacia non posse, sed in hæreſi, quam te authore susceperint, animo obstinato permanere gloriaris. Nimirum, Beza, quod Vlyſis socijs vsuuenisse in fabulis legimus, vt gustata Loto patrię immemores apud Lotophagos optarent desiderare, & Circeis veneficijs insues conuersi & dementati, humanioris ac vultus non ampliùs memississent, idem forsitan tuis fatebor

RELIGIONIS ET REGIS

contingere, vt huius licentiæ, quam
vestra schola ostentat, laqueis irretiti,
& ad hos libidinum & corruptelæ
scopulos adhærescentes, religionis sa-
lutare pharmacum tâquam absinthii
um primo gustu insuaue aspernentur.
Venit mihi in mētem argutum illud
Agefilai philosophi dictum, ex quo
cum quæreretur cur quamplurimi ab
Academia ad Epicurum desciscerent,
valdè pauci resilirent, peracutè respō-
dit, ex viris enunchos gigni posse, ex
enunchis autem viros nequaquam
solere. Sic à sapientia in erroris pute-
um leues homines facilè præcipites
feruntur, sed ab errore in viam redire,
& gradum pedēq; reuocare ijs dunta-
taxat concessum est, quos æquus ama-
uit

Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera
virtus.

Quanquam & ipse non paucos pos-
sem nominare exquisito iudicio &
doctrina præstantes viros, quibus id
diuina

diuina demum benignitate contigit, sed incertum est, vtrum nominari velint. Quid verò vobis videtur de Duareno nostræ ætatis Papiniano? qui cum morbo præpeditus, de morte sollicitus, de sua salute anxius cogitaret, sententiam suam reuocauit: & conuocatis omnibus quos eiusdem erroris conscios habuerat, palàm testificatus est pro sacrosancta Ecclesiæ dignitate ac veritate contra confictam & excogitatam ab istis impietatem. Quòd autem se toties à nobis verberatos, necatos, cæcos, & omni genere tormentorum & cruciatuum vexatos conqueruntur, ac nihilo minus se vivos cremari, & crudelissimè mori, quàm turpiter nobiscum viuere atque sentire maluisse tam sæpè obiectant, habeo quod illis breuiter respondeam. Ego quidem certè sic statuo, vt in extremis corporum morbis, ita in Rei. vulneribus nulla remedia tam facere dolorem, quàm quæ ad salutem

RELIGIONIS ET REGIS

adhibentur. Id Cæsares christianos
fensisse Iurisperitorum libri testatur:
id Reges nostros censuisse, annales &
monumenta aperte loquuntur: id po-
stremò ita esse faciendum Calvinus in
Serueti supplicio, id Beza suis scriptis,
quorum me maximè auctoritas in
hac parte mouet, indubitanter confir-
mauit. Ergo coniuratos, qui iamdu-
dum in prauitate obduruerunt (mihi
enim certamen duntaxat committi-
tur cum pestiferis tumultuum machi-
natoribus: cæteris, qui sola sentiendi
mobilitate ac errore ducuntur, non
modò ignosco, sed mentem melio-
rem ac sanitatem opto) coniuratos
inquam, qui publicam bonorum ci-
uium tranquillitatem, qui concordia-
am, qui pacem perturbarunt, qui iura
communis societatis violarunt, quo-
niam respiscere nunquam meditabú-
tur, ferro ac cæde iudicatos esse vindic-
andos? Cur ego nõ iudicarem quod
leges, quod Reges, quod Imperato-

res, quod istos videlicet integerrimos
censores sensisse audio? Imò si Catili-
næ, si Saturnini, si Gracchorum tur-
bulentas seditiones nunquam aliter
quam gladio coërceri, si Albios &
Tolosates, qui per speciem religionis
à Philippo Augusto defecerant, non
secus quam bello oppressos reuocari
potuisse legimus, si seueritate iudicio-
rum finitimos principes ac populos
integram suam auctoritatem huc vs-
que retinuisse, si paucorum morte re-
liquis suis ciuibus consuluisse intelli-
gimus, quid est, obsecro, quod de fa-
ctiosorum pœna dubitare debeamus?
Veruntamen sic se leges iudiciaque in
hoc regno hæctenus habuerunt, vt
quemadmodum videmus muscas in-
firmiores aranearum telis implicari,
quas deinde valentiora animalia per-
fringunt: sic in vulgus delinquenti-
um nonnihil interdum iura value-
runt: potentioribus, in quos maxi-
mè districtum gladium esse oportuit,

RELIGIONIS ET REGIS

non modò peccati veniam, sed etiam peccandi licentiam potestatemque indulserunt. Itaque ignauia, occultatione, impunitate effrenatum furorem, qui nunc se proripit & projicit, fouimus, aluimus promouimus, nimis molliter, minus fortiter, omninò inconstanter velificatione mutata tēpestatibus ac procellis cessimus. Nūc si saluam nauem esse volumus, virilivus obistendum, firmitus obnitendum, velis remisque ad placidissima littora contendendum. Errant enim, & vehementer quidem errant, si qui existimant vt ista fluctuum iactatione, dum in diuersas partes modò huc agimur, modò illuc distrahimur, rectū nauigationis cursum tenere valeamus, ac non potiùs periculosissimas Syrtes & horribilis naufragij luctuosum exitum pertimescere debeamus. Quare illud iam constituendum ac definiendum est, vtrum veterem tutari constantiam, & inuiolatam religio

gionis integritatem conseruare, an prodigiosis coniuratorum factionibus vitam ac salutem nostram dedere vtiliùs decentiùs ue iudicemus. Quade re non difficile vobis erit iudicium explicare, si causas quæ inter se confligunt, exactiùs comparetis, rerumque ipsarum euentus atque incõmoda iam inde prouideatis. Itaque velim vos illud animo reputare, quod maiores nostri sapiētissimi Rerump. gubernatores in primis cauēdum admonuerūt, ne vllius aut edicti aut legis aut disciplinæ imperiique mutatio temerè tentaretur. Sic enim se rem habere prudenter prospexerunt, vt sicut corpora, cum è consueto & familiari victu ad nouum & insolentem traducerentur, conturbata in morbos graues inciderent, ita non longè aliter Respub. perniciosissimis seditionum factionumque cupiditatum motibus laboratura esset, si vetusto eius statu conuulso, repuditatis

B § maior

RELIGIONIS ET REGIS

maiorum institutis, abrogata diuturni temporis viuendi consuetudine, sursum deorsum omnia permiscerentur, hinc illa Græcorum instituta, quæ postea Romani suam in ciuitatē transtulerunt, quibus patria sacra coli, ritus patrum, quoniam proximè antiquitas ad deum accederet, seruari uoluerunt. Hinc illa apud Dionem Mæcenatis ad Augustum sapiens & elegans oratio, qua Imperatorē monet, nullam fore in Rep. pestem capitaliorem, magisq̃ auertendam, quàm vt veterem formam peruertere, nouam introduci ac firmari patiatur. Hinc illa Persarum, Locrensiū, omnium denique gentium, imò Iurisconsultorum prudentissimorum sententia, in nouis rebus constituendis euidentē perspectamq̃ utilitatem esse oportere, antequam ab eo iure, quod diu receptum sit, recedendi deliberatio instituat. Hinc deniq; illud, quod vulgò, sed tamen uerrissimè iactari solet,

ex Re

ex Religionis commutatione perpetuò consequi Reipub. cōversionem. Quid igitur hoc loco Beza respondeat, qui huius florentissimi Regni bene compositam disciplinam, qui tot seculorum decursu ab omnibus probatam pietatis rationem, ad suam vecordem vesanamq; libidinem, velut ad plumbeam Lesbix ædificationis regulam transmouere & subuertere, leges maiorum apertas & perspicuas nescio quibus insomniis deprauare ac corrumpere machinatur? Sint sanè quædam in nostrorum hominum disciplina, emendatione & animaduersione digna, cuiusmodi esse aliqua non inficiamur, quod partim nostra socordia, partim temporum atque bellorum calamitate, peccandi que licentia paululum à perfecta optimorum patrum virtute sanctimoniaque defleximus, an continuo rerū ordines, propter abusus, tollēdos, & quæadmodū Lycurgū ppter temulent

RELIGIONIS ET REGIS

temulentos vino malè vtentes, stirpiti-
 tibus vites ferunt excidisse, ita propter
 nonnullorum hominum deforma-
 tos mores, non reformandam viuen-
 di regulam, sed propemodùm abro-
 gandam existimabunt? An propterea
 nobis iura noua legislatores eximij
 describent, prisca & vsitata, & iam
 inde ab heroicis temporibus repetita
 damnabunt? Homines nostros nihil
 sapere, & quod passim vsurpare solèt,
 literas sacras ignorasse, sese solos ear-
 um sensum sciuisse, mysteria detexis-
 se, plus suum asylum, quàm vniuersi
 orbis terrarum consilium vidisse cla-
 mitabunt? Quis verò tales nobis Cha-
 rondas, Solones, Lycurgos, Zaleucos,
 legibus corrigendis & ferendis adhi-
 buit? Quis tales nobis tribunos plebis
 aut censores creauit? Quo iure, quo
 more homines priuati, nullam in hoc
 Regno magistratum gerentes, noui
 Arcesilæ istud suscipere & polliceri
 audent? Sed iam cum illis agam quietè &

tè & familiariter, quoniam eos sanare potius Reip. quàm perditos esse cupio. Ais, Beza, nos à vera Christi ecclesia tantum abesse, quantum ad eius familiaritatem gremiumque accessisti. Quid si probauero Francos eam Christi fidem, quam etiamnum tenemus, ab hinc mille & ducentis annis sanctissimè fuisse professos? si eandè nullo tempore intermissam, nulla opinionum varietate aut contentione interruptam ostendero? tu interim Reges Christianissimos, Principes optimos, ciues integerrimos, & quotquot his seculis innocentissimè vixerunt, aut impietatis, & vt tuis verbis loquar, idololatriæ infimules oportet, aut de tuo errore ac impudentia, ne dicam malitia, ingenuè cōfiteare. Negas? Profero annales nostros, temporum antiqua monumenta, locupletissimas rerum Gallicarum tabulas, & prisci temporis memoriam omnium doctorum literis ac scriptis cōsignatam.

Vbi

RELIGIONIS ET REGIS

Vbi interea gentium aut locorum
 tua ecclesia latebat, quam viginti de-
 rum abhinc annis ex inferis, & ex si-
 lentio, in terras, & in lucem conaris
 vna cum Caluino reliquisq; tui simi-
 libus suscitare? Pergo longius, nam
 ad causæ nostræ probationem pluri-
 mum & illud habet adiuventi, quòd
 quandiu integra religio valuit, iura
 & iudicia vigere, Regum maiestatem,
 principum dominatus, magistratuū
 auctoritatem, ciuium libertatem, om-
 nia denique florere vidimus: quæ nūc
 tuo in Galliam reditu, ac ipsa doctri-
 næ ostentatione, indies ruere & la-
 befactari magno Regis incommodo,
 acerbissimoq; populi mœrore sen-
 timus. Hoc enim præclarum tuum
 euangeliū, sicuti mox indicabo, & a-
 liās plenius enunciabo, incommodi
 attulit, quòd gens Gallica, quæ Regē
 suum post supremum numen venerari
 ac amare, quæ Principes colere ac
 reuereri, quæ magistratibus parere ob-
 sequiosè

sequiosè solebat, nunc eò impudens
 tiæ vt plurimum progressa sit, vt con-
 uicijs Principes, maledictis Regē, telis
 magistratus petere non dubitarit.
 Quòd autē in nostrorum hominum
 vicia tam seuerè inquiris, vide ne si vi-
 cissim tua & tuorum maleficia nota-
 uero, meritò illud in Iudæos Christi
 dictum, tibi obiiciatur, quod perbel-
 lè Lyricus vates his versibus expressit.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,

Cur in amicorum uicijs tam cernis acutum,

Quàm aut aquila aut serpens Epidaurius?

Sacerdotes nostros reprehēdis, quòd
 in obscura literarum ignoratione ver-
 sentur, quòd libidinosè viuant, quòd
 officio suo minus officiosè defungā-
 tur. Hoc vt tibi de nonnullis conce-
 dam, tamen & ipse idem multò iu-
 stiùs in tuos, quos ministros vocas, id
 est, tuarū factionū & partium admini-
 stros atq; satellites, referā: qui superio-
 ribus annis vitādi iudicij ac supplicij,
 quod suis nefandissimis facinoribus
 erant

RELIGIONIS ET REGIS

erant promeriti, gratia, hinc ad vos ve-
luti ad aram confugerunt: deinde in
vestra procacitatis schola tres aut
quatuor menses maledicendo & de-
bacchando (quæ vna est illorum in-
dustria) gnauiter exercitati, quasi in
bicipiti Parnasso somniârint, repente
doctores breui momêto effecti, nunc
ex sutrina aut tonstrina ad suggestum
& concionem dimittuntur.

Pontificis potentiam & authorita-
tem in vulgi odium vocas, qui maius
imperium iam diu affectes: qui te v-
num eruditionis principem videri, ut
tæ magistrum nominari, cæteros ex
te pendere, nihil sine te moliri, nihil
nisi tecum agere velis? Episcoporum
fodalitium insectaris, qui nunquàm
in publicum nisi inter armatos satelli-
tes prodeas, tanquam alter Catilina
inter falcarios? Tu nostros homines
sefe conferre in solitudinem & sefe
religioni vouere totos ac consecrare,
non ferendum putas, qui tuos socios
foedere

foedere ac consortio tibi in p̄petuū
obstrinxisti? qui coniurationem tuā
inviolabili iureiurādo sanxisti? Quid
præterea? Ceremonias & ritus, sine
quibus religio administrari, aut vlla
viuendi forma perscribi non potest,
omnino reijcis, quod tibi humani
potiùs inuenti, quàm diuini instituti
esse videantur. Tuas verò n̄nias, &
tuo artificio excogitatas, non morta-
les sed diuinas, non ab homine, sed à
deo auctore traditas esse persuadebis?
Nihil sacrosanctæ paginæ addendum
aut detrahendum vociferatis, ac nihi-
lominùs infinitis commentariorum
plaustris omnes bibliopolarū & phar-
macopolarum officinas oneratis? Ni-
mis vrgeo: commoueri videtur homo
impudens, ad me reuertor. Verunta-
men neque de Caluini aut Bezæ com-
mentis, quæ nemo non noua & ante
paucos annos inaudita esse dubitat,
nec de religionis nostræ, quam non à
mortali aliquo didicimus, accepim⁹,
C sed

RELIGIONIS ET REGIS

sed ab ipso Christo immortalis arripimus, haufimus, veritate, plura disputare mei est instituti, aut huius temporis. Audio enim haftenus & in eo, quod Poyssiaci initum est, colloquio & sanctissimis Theologorum nostrorum libris, & doctissimis Germanorum scriptorum commētarijs abundè istorum exagitatam & explosam fuisse impietatem. Ad hæc, quòd tam diu Deum Optim. maxim. precati sumus, quòd votis omnibus optauimus, vt aliquando vniuersi orbis concilium certum in locum coiret, vbi de corrupta vel collapsa viuendi disciplina ad integerrimum veteris sanctitatis specimen, pristinumque splendorem reuocanda non modò ageretur, sed etiam vnicuique libera fieret potestas sentiendi, differendi, percontandi quæ vellet, id diuina demum clementia, & Pontificis ac principum Christianorum admirabili consensione feliciter nobis contigit. Quare spero

spero istos in posterum non armis,
non insidijs nobiscum dimicatu-
ros, sed in apertum disputationis campū,
in aciem veritatis, remissis istis spiri-
tibus, qui eos transuersum agunt, seda-
tè ac beneuolè nobiscum venturos,
præsertim cum annis superioribus, quibus
Reges potentissimi bellicis curis
distinebātur, Concilij nomen semper
in ore versarent, testarentur, appella-
rent, & illud se cupere, illius censuram
velle se subire simularent. Ergo iam
omissa sententiarum ac iudiciorum
contentione, de Regis causa, quæ cū
vbique, tum hîc maximè cum Reli-
gionis periculo coniuncta est, breui-
ter non nihil moneamus. Non dicam,
quod omnes fateri arbitror, Religio-
nis authoritatem cum Regia maiesta-
te ita esse communi quodam vinculo,
& quasi cognatione quadam colligatam,
vt neutra consistere absq; alte-
rius præsidio, neutra suā dignitatem
absque alterius salute tueri, neutra de

RELIGIONIS ET REGIS

nique perire absque alterius exitio
 possit. Non dicam, olim apud Iudæos
 Remp. sacerdotio & regno, vt duabus
 summis partibus fuisse conflata: &
 apud gentes tam doctas quàm barba-
 ras, sicuti corporum, sic animorum
 quosdam perpetuò principes & mo-
 deratores extitisse. Non dicam (quod
 tamen quorsum pertineat, diligenter
 esse animaduertendum censeo) non
 minori apud populum Christianum
 precio Pontifices, quàm Imperatores
 fuisse: nec illorum contemptum in-
 duci posse, quin similiter horum con-
 temptus despectusque consequatur.
 Hæc igitur non dicam, quæ latius es-
 se puto in cogitatione vniuscuiusque
 relinquere, quàm in oratione mea po-
 nere. Nunc verò dicam, quod ipsi cõ-
 iicere olim solebamus, iam iam mani-
 festis indicijs deprehendimus, nec tã-
 tum dicam, sed ab istis factam esse
 coniurationem, nec modò Ecclesiæ
 statũ, sed Regiam maiestatem attentari,
 sed

sed omnium rerum confusionem induci, sed cunctorum ordinum subuersionem cogitari, demonstrabo. Appellent, quantum velint Euangelia, & doctrinae nouae speciem nefandissimis suis coeptis obtendant. Nihil me mouet speciosa nomina, nihil affectati elegantesq; tituli reru veritate mutant. Non est inusitatum aut insolens, quod tegende turpitudini honestiora inuolucra, quod velandae cupiditati splendor aliquis eximius, & popularis causa conquiratur. Fecit illud Saturnius, fecere Gracchi, qui quod mouebantur, se populi gratia suscipere, se leges Agrarias non ad euertendam, sed ad constituendam Rempub. proferre denunciabant. Fecit illud paulo post Catilina: ut cum urbis, atq; adeo orbis Romani vastitatem animo concepisset, ciuem se nihilominus Reip. amante, officiosum, libertatisq; assertorem haberi postulare. Fecere deniq; & illud in Gallia patrum nostrorum me-

RELIGIONIS ET REGIS

moria nobiles aliq̄, & proceres, vt in flagitiosissima à Rege Ludouico vñ decimo defectione, & Regni diripiendi ac occupandi sceleratissima voluntate, boni nescio cuius publici nomē prætexerent. Quamobrem definant coniurati diutiùs nobis per speciem simulatæ pietatis illudere: agnoscant tandem, quod nequaquam inficiari possunt, se apertè Galliam, Regem, Regnum, Proceres, Senatū, templū Christi, tectā populi petere, dominationem ambire, rerum potiri velle, denique honores, quos quæta Rep. desperant, perturbata consequi se posse arbitrari. Quòd si falsa obijcio, velim reddant rationem, cur Geneva vrbe occupata, Ducem sua sede, Episcopū suo solio deturbarunt? Veteres quidem Iuriconsulti, res quæ in nullius bonis & patrimonio essent, ei qui primus cepisset, cedere voluerūt: domino possessiones eripi: nefarium, indignum, immane, violentum iudicarunt:

vos quod iura gentium, quod leges, quod omnis barbarorum consuetudo vetat, vobis licere, iustum, ac Christianę professioni consentaneum esse defendetis? Christus cum in terris figura mortali ageret, tributum Cæsari pependit: eius imagine numum signatum agnouit: Cæsari, quę Cæsaris essent, præstanda esse mandauit. Vos Geneuensi principi obsequium, stipendia, obseruantiam non modò denegatis, sed eius summam auctoritatem in præcipiendo, edicendo, pecunia cudenta, vrbis administratione gerenda vindicetis? Quid principes cæteri, quod Reges, quid Imperatores de vobis iudicabunt, cum audient vos initium vestrę factionis à tam iniqua vrbis alienę occupatiõe fuisse auspucatos? An non ex hoc vno rudimento, de reliquis vestris studijs, de voluntate, de consilio existimabunt, præsertim cū ad vnus Geneuę exemplū & regulā cuncta orbis regna & imperia formare

RELIGIONIS ET REGIS
atque componere statuatis? Quòd si
ego idem vos in Gallia tentasse docu-
ero, an non effecero, (quod me cùm
in hac oratione, tũ duabus alijs, quas
de conspiratione vestra contexo, fa-
cturum confido) vt vestra in patriam
odia, nefaria in bonos studia, illustra-
ta patefacta palam oculis videamus?
Redeo igitur ad te, Beza: quoniam
post Caluini coniurationis archite-
ctum te secundas partes tenere acci-
pio. Meministi cum in vico Iacobæo
Lutetiæ promiscuus virorum & foe-
minarum numerus certas ad ædes, tã-
quam ad Cereris mysteria coiuisset,
Regique Henrico nocturna illa sacra
valdè displicuissent, te statim concita-
to cursu in Germaniam festinasse, cu-
ius Principes atque optimates a Regis
amicitia temporibus maximè necessa-
rijs abduceres, & eorundem literas
minaces, quæ Regem permouerent,
impetrares? Appellare hoc loco bonũ
illum Philippum Melancthonem, si
superstes

supestes in terris adhuc esset, cū quō
 de tua in Regem offensione, multa
 contulisti. At ille tam Regi amicus,
 quā tu infestus eras. Quid, inquit,
 Beza, aut quorsum tui tam importu-
 no tamque periculoso tempore Re-
 gi sollicito, curisque grauioribus su-
 spenso faceffunt negotium? Cū ni-
 hil in Germania promouisses, tamen
 ne impunè tuorum scelera Regis au-
 thoritas vlcisceretur, ab armis ad in-
 fidias, à minis ad conuicia confugi-
 fti: vt quem telo adoriri non poteras,
 voce linguaque vulnerares. Testan-
 tur hoc venenata illa carmina de iu-
 uē bresbytero, molli fœmina, de An-
 na, de Diana (vt or enim tuis verbis, ne
 quid me putes comminisci) quæ qui-
 dem tuis fatellitibus spargenda, quasi
 hamata tela vibranda suggerebas.
 Quòd quā non modò à Christiano
 doctore, sed ab homine barbaro sit
 alienum, haud dubiè cognouisses, si
 quid modestia imperet, quid iura ius-

C s beant,

RELIGIONIS ET REGIS

beant, quid Christus mandet, quid ci-
uilibus hominum societas requirât, cog-
noscere vnquã voluisses. Nescis, Be-
za, nescis non leuius esse flagitium, fa-
mam hominum, nedum Regũ & opti-
matum, maledicendo & calumnian-
do depeculari, quàm manus violẽtas
illorum saluti afferre? quàm pectus re-
lo confodere? Lege Iurisconsultorum
responsa de famosis libellis, lege in
eam rem commentarios, quos nuper
in Caluinum doctissimè Balduinus
scripsit: & si vis, quid Christiani dein-
de Cæsares, quid Christus, quid Apo-
stoli censuerint, animo sedato confi-
dera, disces, vt opinor, non Christia-
num, sed Epicureum esse, ita ferociter,
ita aspere optimos quosque maledi-
ctis figere, præsertim cum de bona fa-
ma non minor, quàm de capite con-
tentio suscipiatur. Postea Rex ille, cu-
ius aduersis successibus impiè gestie-
bas, prosperis inuidiosè angebaris, ex
hac vita in beatorum regionem mi-
grauit.

grauit: cuius mors tam luctuosa huic populo, tam acerba socijs, tam barbaris etiam grauis extitit, vt idem tumultus, qui corpus eius contexit, omnium gentium lætitiã, otium, concordiam simul obruisse videatur. At in luctu publico tui tamen intemperantiùs inolefcuit, exultant: Regem dicitãt iusto dei odio cæsum, quòd, vt hostes, Caluini discipulos persequeretur: imò parricidam, posteaquam sese vobis adiunxit, alterum huius seculi Paulũ, & euãgelij vindicim fuisse prædicatis. Iam habeo multa vestræ conspirationis argumenta: sed alia longè plura & firmitiora occurrunt.

Quid enim commemorẽ nefandissimum quod Geneuẽ iniistis consiliũ de Rege Francisco, qui paulò antè patri successerat, Regina vxore, Regina matre, & eius liberis, proceribus, bonis magistratibus, ad certum diem cõmodo loco per insidias trucidãdis? Cuius crudelissimẽ, & post homines

natos

RELIGIONIS ET REGIS

natos atrocissimæ conspirationis, te,
 Beza, ne quid mentiar, principem,
 Calvinum authorem, Ottomanum
 subsignatorem, Spifanium suasorẽ,
 omnes Gallie prædones & lanistas cõ
 scios fuisse profiteor, præterea (audet
 quemadmodum loquor) præterea ne
 minem in simulo. At Regi parceba-
 mus: Regis consiliarios & gratiosos
 Principes tantummodò appetebamus.
 Credo, cum in Regis oculis & pedi-
 bus sicarij benevolos eius & fidos
 Proceres mactarẽt, ijdem à Regis cor-
 pore manus sanguinolentas abstinu-
 issent. Ad hæc quĩ vobis potius Prin-
 cipes cædere liceat, quos Arcadius &
 Honorius Imperatorij Regijq; corpo-
 ris membra nuncupari & esse sanxe-
 runt? Aut cur omninò Principes lice-
 at, & eos potissimum Principes, qui-
 bus nemo vnquam hostis fuit, qui-
 idem Regi & Regno exitiosum bel-
 lum indixerit? Dico amplius, vos nõ
 minus his, quàm illis, quàm Reginae,
 quam

quam Regiis liberis, quam serenissimo Regi Nauarræ, quam eius illustrissimis fratribus fuisse infensos. Testes sunt rumores, qui à vestris vbiq; contra eorū omnium, quos nominavi, existimationem & dignitatē ferebantur, tanta verborum & conuicioꝝ impuritate, vt de Peste, Furijs, Orco, Cœtauris, Chimæra, Cacodæmonibus, de totis denique Inferis turpiora fingi nequeant, quam quæ in præstantissimos & sanctissimos huiusce Imperij heroes guttere patenti euomistis. Sed illa prætereo, ne vel castas aures offendere, vel minus temperanter ac verecundè vestram calumniam refellere, vel vestro more cogar loqui de Regibus & Optimatibus impudèter. Testes præterea mēdacijs inexpiabilis sunt infiniti summa fide & cōstantia viri Germani, qui coràm, quæ indico, se non ab alijs audiuisse, sed à vobis didicisse, cū necesse erit, verissimè cōfirmabūt. Testes deniq; Sturmij hominis do

RELIGIONIS ET REGIS

nis doctissimi, & in Germania celebra-
tissimi literæ, quæ in nonnullorum
nostrorum Procerum manus autho-
ris signo approbatæ peruenerunt, quæ
fortasse aliquandò in lucem vestro ca-
pitis periculo, & nominis probro
emanabunt.

Hic te, Ottomane, excutere incipio. Scis enim ex cuius officina Tigris
prodiit, liber certè Tigride parète, id
est homine barbaro, impuro, impio,
ingrato, maleuolo, maledico dignissi-
mus. Tu te istius libelli authorem, ge-
neris Francici propugnatorem, cædis
bonorum machinatorem aude vendi-
tare? Tu longè adhuc atrociora, quæ
breui patere senties, in patriam moliri?
Tu ex iis gloriam apud exteros au-
cupari? Tu fratribus, propinquis, om-
nibus denique tuis periculum capitis
arcessere? Non in isto acriùs, ne in te to-
tam conspirationis culpam conferre
videar, quem scio Geneuensium con-
cionatorù aculeis ad furorè fuisse sti-
mulari

mulatum. Sequuta est deinde inopina
Francisci Christianissimi mors, quæ
tantû cõiuratis gaudii, quantû bonis
ciuibus mœroris attulit: tatum porrò
studii animiq; , quantû vita paulò antè
facultatis viriumq; , detraxerat. Et sa-
nè vix sextus aut septimus mensis ab
optimi Regis morte intercesserat, cû
Beza gloriosum ab exilio in Galliam
reditum meditatur, & infinitâ factio-
forum manum comparat: cuius admi-
niculo ad quietas huius Regni sedes
vexandas connitatur. Itaque cum pri-
mum tu sedandæ discordiæ, & vt pol-
licebaris, Ecclesiæ conciliandę arbi-
ter adscitus Poyssiæ appulisti, si-
multatum scintillæ, quæ antea leuius
fouebantur, tuo spiritu excitate, ad fu-
nestissimum incendium exarserunt.
Cumq; nostrorum Theologorum &
Episcoporû rationibus obniti nequa-
quam valeres, tamen pertinaciter, vt
tuæ farine hominum naturę peruicax
esse consuevit, in opinionû inuetera-
ta pra-

RELIGIONIS ET REGIS

ta prauitate perstitisti: æquissimas pã-
cis cõditiones repudiasti: quin etiam
quod in ornatissimo Reginae matris,
Regis Nauarræ, clarissimorumq; Pro-
cerum cœtu, machinis argumentor-
rum, quæ illustrissimus, idemque in-
telligentissimus Princeps & Cardina-
lis Lotaringus in te contorserat, deie-
ctus, concessisti, postero die inconstã-
ter & malitiosè reuocasti: ex quo cœ-
tus ille frequentissimus re infecta dis-
missus est, ex cuius consensione perpe-
tuam in Ecclesia concordiam, & Re-
gno tranquillitatẽ deinceps fore spe-
rabamus. Tu verò, qui publicam veni-
endi, at non remanendi gratia, fidem
à Rege acceperas, nihilo minus dulce-
dine soli Gallici illectus, vel etiam am-
bitionis impotentia totus estuãs, te te
ostentare. Tu, cum amplissimi Episco-
pi singuli ad suas diœceses rediissent,
solus aulam occupare, in ea domina-
ri, virúsque, quod iam diu pectore cõ-
tinebas, ore furioso euomere perre-
xisti.

xisti: Quid deinde egeris, aut quid
consilij ceperis, aut quàm insolens
ter & iracundè te gesseris, sigillatim
exponerem, nisi memoriam istorum
facinorum recentem adhuc Parisien-
sis populus teneret: quem si hoc loco
testè appellauero (vt de cæteris huius-
sæ Regni ciuibus, quos idem præ se
ferre non est dubium, taceam) se gra-
uiora decem mensibus authore Beza
pertulisse cõqueretur, quàm totis de-
cem annis, quibus assiduis bellorum
ignibus vniuersus orbis conflagrauit.
Nec tantùm de priuatis incommodis
conqueretur, sed Regis sui maiestatem
fuisse violatam, Senatuum circumscrip-
tum, leges contemptas eodem duce
ac hortatore demonstrabit. Francicæ
Reip. perpetua cõsuetudo, & ciuium
consensus Reginam matrem cum Re-
ge Nauarræ ad Regni procuratio-
nem, & quasi ad Regis ipsius, donec
adoleuisset, legitimam tutelam ad-
mittebant: Beza per suos procurato-

RELIGIONIS ET REGIS

res postremis conuentibus, qui Lutetia habiti sunt, Reginam penitus eijciebat: Regi Nauarra comites confiliarioſq; adiungebat: quasi Rex ſapientiffimus ſine illis gerere procuratorem minùs cõſultò poſſe videretur. Senatusconſulto, quod erat menſe Julio incredili Procerum & Senatus conſenſu conflatur, Beza ludum in Gallia aperire prohibetur. Ipſe non ita multò poſt in aula, tum ſtatim in ciuitate Bacchanal licentiæ, ſaſtidij, deſpicientiæ inſtituit. Regio edicto, vſus armorum omnibus interdicitur: Beza ſe & ſuos edicto ſolutos arbitrat: prætoriã ſibi cohortem arceſſit, cuius præſidio ſuorum audaciam munit, urbem terreat, & ſe aduerſus legum & Senatus authoritatem vi armisq; tueatur. Alterum Regis edictum ad intercludendas ſeditionum vias promulgatur, Ne quis alium vel verbo laceſſat, ne imaginibus, ne templis manus ſacrilegas inferat: Beza continuo
 diui

diui Medardi templum prædatur, imagines deicit, & quod meminisse horret, preciosissimū Christi corpus impurissimis pedibus conterit: plebem, quæ hoc impiè factum luget, crudelissimè à suis lanistis sauciari, sauciata in vincula & carcerem rapi iubet.

Quæ cùm ita sint, audet nihilo minus te Regi obsequentem prædicare, qui Regia mandata pro nihilo semper duxerit: qui Regis clientes, Regiam urbem iniurus omnibus incommodis quibus affluerit. Quid si alia eiusdem generis maleficia multa cumulauero, quorum nullum est, quod te coniurationis rerum non arctissimè constringat? Nescis lege Iulia maiestatis, (cuius hodiè usum multò etiam seuerius retinemus) capitale fuisse, ut quis leges ferret, disciplinam componeret, arcam (ut loquuntur Iurisperiti) cõmunem institueret, milites conscriberet? Quid si præterea turbam factio-

RELIGIONIS ET REGIS

forum, quæ se tecum omni scelere par-
ricidioq; coniunxit, non aliter quàm
suas coniuratorum copias æterno fœ-
dere tibi obstrinxisti? Quid si militiæ
sacramento pro tuis partibus contra
Regiam tuendis adegisti? Quid si hu-
ius vrbis Optimates, lectissimosque
Magistratus ad cædem oculis desig-
nasti? Quid si percussoribus diem,
quo cædes fieri deberet, constituisti?
Quid si postremò nobiles aliquot ab
obseruantia Regis abduxisti? Quid si
Regis propinquum integerrimū Prin-
cipem militibus & custodiis septum
tenuisti? vt potius tecum, quàm cum
suis esset, cõpulisti? Quid si vrbes in-
uasisti? cœnobia diripuisti? templa va-
stasti? templorum custodes ad aras ma-
ctasti? aliquot vrbibus sacerdotes in-
dignè mulctatos eiecisti? Quid si ad-
huc his atrociora in dies commina-
ris, agitas, machinaris? Adeone nos he-
betes, aut omni iudicio sensuque ca-
ptos putabis, vt de tuis perditissimis

conatibus nihil aut suspicari, aut cernere valeamus? Longè verò tua opinione falleris, Beza, si ita de nobis iudicas, & te acriùs ad perniciem Regni, quàm nos ad salutem, vigilaturum confidis. Sileo, quòd permulti queruntur, obedientiam per te solutam, disciplinam perturbatam, vulgus ad pileum vocatum, iam in plerosq; nobiles concitatum, homines nostros ad seditio- nem confederatos, ad bellum sollicitatos, cæteraq; quàm plurima hostiliter perpetrata, quæ tute aliquandò in iudicium pertractus audies. Non est quòd diutiùs mentem tuam dissimules, quæ iam pridem se prodidit: Galliam, quæ mille & ducentis annis sub Regum imperio floruit, ad Geneuæ regulam & exemplum requiris, Reipublicam nouam formã animo concipis, in qua summum aliquem aut Tribunatũ aut Dictaturam assequare: in qua præter te & aliquot tui similes, cæteri pari lege ac conditione, æquali etiam pos-

RELIGIONIS ET REGIS

sessionum distributione, qualem inter fratres Christianos ais esse necessariam, teneantur. Itaque ut Ecclesie, sic & Regis auctoritatem sensim conuel-
 lere, comparas. Is si quid tibi aut tuis mandat, iam non absolutè parendum
 censes, conditiones obsequendi præ-
 scribis, imperandi leges dictas, si te op-
 pugnat, habes semper in pròptu quod
 excipias: aut nondum puberem, aut
 custodia conclusum, aut ab hostibus
 suis circumseptum, aut non recta, nec
 que sacris literis congruentia impe-
 rantem criminaris, si vrget, legionum
 tuarum terrorem minitaris. Hec dum
 gnauiter & audacter, sed tamen sceles-
 ratè geris, Calvinus è sua tripode red-
 dit oracula, quibus te in horas quid
 agendum, quid metuendum sit, qui-
 bus rebus occurrendum, monet. Ve-
 stros exercitus literis consolatur: &
 ut forti animo esse iubeat, prædam
 instare pollicetur. Ergo rectè qui-
 dem officiorum partes ita inter
 vos

vos distribuistis, quoniam ille se-
nio morboque impeditur, consilia
domi administrat: tu, qui paulò es ro-
bustior, & in ludo gladiatorio iam-
dudù exercitatus, classicū foris canas,
& primos ordines aciemque ducas.
Quid verò Ottomanus? Neque enim
credibile est, eum, qui inter principes
conspirationis Ambrosianæ nume-
rabatur, in extremo fabulæ actu nul-
lam personam sustinuisse. Imò nunc
Aureliæ reddit rationem, quàm om-
ni studio & ope contenderit, vt Ger-
manos à Regijs partibus, quas fidelis-
simè fouent, ad vestras abduceret. Re-
fert se primùm eius rei gratia ad Ele-
ctorem Palatinum diuertisse: cum il-
lo de Guisianis Principibus egisse.
multa in illos artificiosè confinxisse:
huic ad Lansgrauium, deinde ad Saxo-
niæ ducem, tum ad Grombachium,
Petrū clarū, & singulos Regis stipēdia-
rios, & Germanicarum suppetiarum
præfectos, postremò ad duces Pon-

RELIGIONIS ET REGIS

tium & Vvirtembergicum venisse, singulos separatim conuenisse, prout dignitas personarum, locus & ratio postularent. Commemorat deinde, vt opinor, quemadmodum se magistrum libellorum supplicum, & in Germania Regis legatū falsò esse venditaret, vt aureos stipendariis montes pollicens, vt Principum animos assentationibus, confectisque rumusculis pellicens & deliniens, si nō quod intēdebat, saltem quod è re conspirationis futurum sit, se sua industria & criminatione perfecisse, vt stabilitas amicitiae, quam inter Frācos & Germanos vtriusque gentis cognatio, perpetuū foedus, eademq; humanitatis & morum similitudo contraxit, deinceps vacillet. Quod quanquam non est nobis metuendum, ab ea videlicet gente, quæ constantiae ac fidei præcipuam laudem semper quæsiuit, semperque adeptæ est: tamen velim vos (id quod leuiter non sine causa prætereo) diu
multum-

multumque reputare, quo tandem animo, vel quam potius graui intestinoque odio in Regem & patriam raperetur, qui sociorum arma in Galliam commouere, & ad id, quod coniurati aperte indixerunt, teterrimum bellum impellere connixus fuisse, cum Germanorum optimatum literis, quas de toto negotio ad Principes nostros miserunt, tum clarissimorum virorum testimonijs conuincatur? Superest nunc, ut quoniam quæ sunt à vobis per hosce annos vbiq; præparata, in hoc tempus omnia eruperunt, ut amplius de consilijs, quorum exitum furoremque pertimescimus, dubitari non possit: postremo de causa, quam defectioni turpissimæ, tanquam fucum prætextitis, pauca respondeamus. Quanquam quæ ratio subesse queat, ut vos in certamen cum Rege descendatis? ut in eius vrbes arcesque hostilem in modum irruatis? ut ad motis machinis eiusdem præfectos ad de

D 5 ditionem

5 RELIGIONIS ET REGIS
ditionem, compellatis? ut denique
hostiū numero eos omnes habeatis,
qui sartam tectam Regij diadematis
maiestatem tueantur? Quamobrē nul-
la offensionis causa confingi potuit:
ac ut aliquam potuisse putaretis, tamē
iure disceptare, non armis vindicare
deberetis. Quid enim tam alienum ab
omni non modò religione, sed etiam
simulatione religionis, quàm vis? quàm
bellum? Quod porrò tam iniustum
bellum, quàm quod à seruis in domi-
num, à clientibus in Regem, nulla
pręsertim iniuria laceffit, indignif-
simè suscipiatur? Sed audio quid Be-
za causetur: Non in Regis caput, sed
tantummodò in Principis Guisiani et
Conestabilis, quos cane & angue peis-
us oderit, perniciem, suorum tela in-
tentari. Cur autem illos tanto perè sus-
pectos atque inuisos sibi existimet,
si Bezam rogetis, idem nimirū quod
olim Fimbria homo furiosissimus,
respondebit, qui Scauolæ ornatissi-
mo

mō ciui, quem in Marii funere vulnes-
 rari curauerat, posteaquam comperit
 eum posse viuere, idcirco actionem
 dicitur intendisse, quòd non totum
 telum corpore recepisset. An non est
 illi dicto atque facto Fimbriæ tuum
 simillimum? Accusas clarissimos huius
 Regni Proceres: quid ita? quia de
 manibus tuis effugerunt: quia Regem
 opprimi, Regnū vastari passi nō sunt:
 quia de vtriusque salute ac dignitate
 contra importunos factiosorum co-
 natus omni tempore non minùs, quā
 de vita dimicarunt. Attendite obse-
 cro (hīc ego bonos omnes appello)
 quòd tādē progressa sit, aut ad quos &
 quales viros effrenata istius audacia
 permearit. Principis Guibani facta,
 hoc est Achillis Francici, cuius tro-
 phæis hodiè salui stamus, florentesq;
 viuimus. homo transfuga, & huic Re-
 gno Regique inimicus criminatur.
 Conestabilis, id est Francici Nestoris
 prudentiā insectatur, quæ se toties in
 quatuor

○ RELIGIONIS ET REGIS

Quatuor Regum difficillimis temporibus grauisissimisque negocijs ostentauit. O miseram conditionem non solum administrandæ, verum etiam conseruandę Reipub. si quidem illud impunè conceditur, vt heroum nostrorum præclara facinora, cuiuslibet fugitiui maledicentissimo gutturi pateant: vt quorum victorias ac triumphos nostri admirantur, socij obstupescunt, hostes pertimescunt, ab ijs anteaactę vitę rationem nescio quis quęsitor, veluti Virgilianus Minos aut Rhadamanthus, seuerissimè exigat. Omitto illud, quòd quasi Reginę consiliorum & arcanorum conscius particepsque fuerit, & intimos animi sensus perspexerit, de eius in Principē Guisianum & Conestabilem voluntate, de mutuis eorundem colloquijs, de simulatibus, quæ nunquã fuerunt, quæ nunquam esse potuerunt, non nihil suo more ariolatur. Ceterum Beza bellum nefariū Gallia, quæ quondã

civis

eius fuit patria, inferre meditatur: honestas pacis condiciones repudiat: placari non vult: ea tantum ratione flecti se posse profitetur, qua oues Aesopus in gratiam cum lupo rediisse festiuè fabulatur, si Principes Regiæ salutis sceptrique custodes, procul ablegentur, si deinceps ipse Regi Regnoq; vniuerso viuendi regulam præscribat, si Regi pro suo arbitratu imperet, quid illum consilij in posterum capere, quid cogitare, quid suscipere, quos proceres & clientes secum habere, quos eijcere, quos complecti, quos odisse velit, denique si ex vnus Beza nutu omnium spes cogitationesque pendent, quod cum impetrarit, & sensim suam auctoritatem viresq; confirmarit? tum demum, quod tandiu expectat, se breui consecuturum arbitratur, vt de medio sublatis omnibus, quos Regij nominis fidelissimos, & acerrimos vindices antea fuisse, semperque futuros intelligit, ipse Galliam, tanquam

RELIGIONIS ET REGIS

quam in dotali matrimonio sibi ten
 stamēto legatam obtineat. Tu verò vt
 id aliquando efficias, vt suauissimum
 libertatis fructum Francico populo
 vnquam eripias? vt ad seruitutē addu-
 cas transfuga, proditor sperabis? ac
 non potius Christi iustissimum no-
 men, Reginae matris diuinum iudiciū
 Regis Nauarrae admirabilem providē-
 tiam, Optimatum vigilias, Gallie flo-
 rem roburq; perhorresces? Sic enim
 habeto, Deum immortalem præcipua
 quadam beneuolentia erga Francico-
 rum Regum pietatem extitisse, in di-
 cia suæ benignatis perspicua & multa
 in his sedibus ab externo impetu vin-
 dicandis edidisse, maiora etiam & il-
 lustriora in flagitiosissima coniurato-
 rum manu procul ab aris sanctissimi-
 squæ templis, & à finibus imperij flo-
 rentissimi, fortunisque ciuium inno-
 centissimorum arcenda, breui tempo-
 re editurum. Huc accedit Reginae ma-
 tris & Regis Nauarrae concordissi-
 ma

ma in Regni administratione voluntas, singularis sapientia, incredibilis vigilantia, cæterorumque Principum et Optimatum (a quorum existimatione tam vehementer abhorres) studiū & consensus, quorum omnium præsidij circunclusus, & custodij constrictus, æternas tui furoris amertiaque poenas, Dei hominumque iudicio viuis mortuusque iustinebis.

FINIS.

